



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xlix [i.e. vi]. Omne iudicium humanum necessariò comitatur apprehensio  
simplex terminorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

prehensionibus æquivalet. Nequè actus ille ex his tribus, qui terminatur ad copulam seu identitatem, vel non identitatem, constituere potest hoc concretum in ratione affirmativi vel negativi; cum ista identitas vel non identitas repræsentari possit per apprehensionē, vel si repræsentetur affirmando vel negando, erit actus illam repræsentens per suā entitatē formaliter judiciū, & repræsentando identitatē repræsentabit simul prædicatū & subiectum. Imò nequidē propositiones hypotheticæ componuntur ex duplici iudicio; quia v.g. hæc hypothetica: *Si sol est, dies est*: æquivalet isti: *Sol lucens est dies, seu facit diem*. Dicitur autē iudicium res componere vel dividere, in quantum objecta repræsentata per plures apprehensiones componit iudicando, esse unum, vel dividit, negando esse unum.

VI. Omne iudicium humanum ( contrarium est de angelico ob intellectus angelici præstantiam ) etsi non necessariò præcedat apprehensio complexa nudè prius repræsentans totum sine affirmatione & negatione, quod postea actus iudicativus affirmando vel negando repræsentat, saltem in materiis evidentibus, præcedit tamen, vel necessariò

comitatur singulorum terminorum apprehensio simplex, etiam in propositionibus lumine naturæ notis; prædicatum enim & subjectum prædicationis affirmativæ non identicæ differunt, non ex parte objecti, nec ex parte actus judicantis, quia hic idem & simplex est; ergo ex parte apprehensionum simplicium præcedentium vel concomitantium: item prædicatum & subjectum debet diversimodè attingi, quòd cum facere nequeat idem actus, fieri debet ab istis diversis apprehensionibus. Dicitur autem intellectus immediatè assentiri veritatibus lumine naturæ notis, non quòd non præcedat simplex apprehensio, sed quòd assentiat intellectus iis sine medio termino seu motivo.

VII. Objectum propositionis tam affirmativæ quàm negativæ non est prædicatum & subjectum secundum se; sed identitas prædicati & subjecti, quia illud est objectum, quòd in propositione vera affirmativa datur, in negativa non datur, & contra, quòd in affirmativa falsa non datur in negativa falsa datur, talis est sola dicta identitas, ut patet in his propositionibus: *Homo est lapis: homo non*

*est*